

1193 et presente domino Kain Olomüicensi episcopo, pro quo hac de causa missum fuerat, ut castrenses vinculo anathematis innodatos absolveret, sicut et fecit.<sup>1</sup> Tunc etiam ordinationem fecit clericorum in choro Pragensi sabbato IIII<sup>or</sup> temporum, *sed* melius fuerat, si non fecisset, quia ecclesiam Christi misit in errorem per sacerdotes et levitas, quos omnes sine impositione manus ordinavit. Super hoc articulo magister Arnoldus legatione fungens predicti ducis et episcopi consuluit papam felicis memorie Celestinum, qui precepit, sicut ille narravit, ordinatos non reordinari, *sed* solummodo inter ordinandos stare ad ordinationem et solam manus impositionem recipere, quam minus acceperant. Retulit hoc ex ore domni apostolici, et quamvis authenticum super his non haberet, nichilominus tamen creditum est ei tamquam honesto viro et fideli nuncio, factumque est ita, sicut dixerat, per manum domni Engelberti Olomüicensis episcopi, qui predicto Kain in brevi post mortuo<sup>2</sup> successerat. Tunc facto dein<sup>de</sup> post annos tres et semis dominus Petrus diaconi cardinalis titulo ad Sanctam Mariam in Via Lata, melior de mundo clericus, legatione functus apostolica in Bawariam, Boemiam et Poloniam factum hoc vehementer corripuit et tam ordinatorem gravavit, quam ordinatos suspendit et reordinari fecit. *sed* de his hactenus satis.

Ceterum epistolas summi pontificis predicto episcopo et

1) Douze, Jo. Gersonius II, 281; Logman I, 377 f.

2) 1194 Jan. 13.

1193. P. ordinem W

Bawariam